



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas III. Respondetur Objectionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

4. **ABSURDUM**: sequitur non posse Deum ab optimo cessare, absque eo, quod vim inferat suæ naturæ.

RESPONDERI potest: cum vis debeat esse contra inclinationem naturæ, relinquaturque Deo potestas physica seu naturalis, non volendi optimum, hoc ipso non velle optimum, non erit contra inclinationem naturalem.

5. **ABSURDUM**. Sequitur vi hujus doctrinæ, non futurum fuisse Deum in statu suo connaturali, si non creasset mundum.

RESPONDETUR: cum non necessitetur Deus ad circumstantias temporis, ut in illa circumstantia velit optimum, non poterit ullum determinatum tempus ostendi, in quo, quia noller optimum, hoc ipso non esset Deus in connaturali statu. Deinde, cum sit in potestate physica Dei, ne creet mundum; etiam non creato mundo, esset Deus in statu suo physico, à quo connaturalitas sumitur; potest tamen concedi in sententia Granadi, quod non futurus fuisset tunc Deus, in statu, ad quem habendum propendet determinatione morali.

3. **RATIO**, quâ utitur Amicus, est: Nullus auctus ad extra perficit intrinsecè Deum, ergo ad nullum opus ad extra, moraliter propendet, seu necessitatur Deus.

RESPONDERI posset: quoniam inter omnem terminum, & ejus habitudinem, intercedere debet proportio; fit, ut & inclinatio debeat dicere proportionem cum termino, ad quem inclinat; & quia inclinat non nisi moraliter, etiam terminus, in genere moris debet respondere illi inclinationi. Ex quo jam eruitur hæc Responsio. Ad nullum opus ad extra, necessitatur Deus moraliter, tanquam ad perfectionem intrinsecam: Concedo antecedens. Non necessitatur ad opus ad extra, tanquam ad perfectionem moralem: Nego antecedens.

INSTAT, id solum moraliter necessitativum est agentis ad operandum, quod ad ejus intrinsecam perfectionem dirigitur.

RESPONDETUR, negando antecedens, potest enim necessitare moraliter, id, quod affert perfectionem moralem.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus.

Ne excrecat Difficultas, partienda erit. *Sic Punctum Difficultatis 1.*

Respondetur ad Authoritates & Communiora Argumenta.

OBJICITUR 1. Autoritas Patrum, quos plures affert Granado, & ex eo Lugo, quorum argumenta nihil omnino concluderent sæpè, nisi Deus semper faceret optimum. Ex difficilioribus tria sunt loca. Primò Cyrilli Alexandrini, l. 2. Thesauri c. 1. *Quia omnia inquit Pater potest, & meliora semper vult, Consubstantialis sibi ex Deo, nascitur Filius.* Secundò Aug. qui lib.

de Quantitate Animæ, c. 33. *Iustitia inquit, Summi Dei factum esse: ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint.* Similia habet l. 1. contra Adversarium legis & Prophetarum c. 14. Tertiò in oppositum sunt loca Anselmi l. 1. & 2. Cur Deus homo.

RESPONDETUR 1. In Authoritatibus Patrum duo spectari posse. Primò, cum enuntiant, Deum necessitatum esse, ut faceret v. g. Incarnationem; & hæc necessitas non debet intelligi ullo modo antecedens, sed ex suppositione vel decreti facti, vel titulo fidelitatis & constantiæ & c. sicque debet explicari Anselmus, qui ita seipsum explicat c. 16. *Nonne, inquit, monstratum est supra, quod Dei voluntas nulla cogatur necessitate, sed ipsa se, spontanea sua, servet immutabilitate.* Secundò spectari possunt Authoritates Patrum, quatenus sine ulla mentione necessitatis, dicunt, Deum semper facere optimum. Et accipiendum est in sensu morali, h. e. ut plurimū; jam autem ea que sunt ut plurimum, ad demonstrationem moralem, qualibus utebantur Patres contra Ethnicos & contra Manichæos, comminantes unum Deum bonum, & alterum malum, sufficiens sunt Principium; nam quando opus positum non probatur, discernendum est pro possidente; possidentis autem nomine, rectè venit id, quod ut plurimum, adeoque semper, moraliter loquendo, fit. Quod autem Patres supposuerint, non nisi ut plurimum & moraliter ita fieri, ratio inter alias est; quia supponebant, quod potuerit nos Deus aliter liberare à peccato, quam liberavit: & sicut ex connaturalitate alicujus effectus, bene inferitur, eo modo illum esse positum, quo connaturaliter postulat poni, & quod Deus permiserit causam ita illum producere, sicut exigit ut producat; si ex consueta productione operum, bene inferitur, quod semper Deus producat optimum. Nec officit possibilitas moralis oppositi, siquidē sunt multaabilia moraliter, quæ quamdiu non probantur, non præsumuntur, & ita possibile est moraliter Sacerdotem non esse baptisatum, & tamen id non præsumitur donec probetur.

Sed restat adhuc explicare, in quo sensu accipi debeat istud optimum, quod facit Deus semper.

1. **SENSUS**. Facit Deus optimum, hoc est, secundum exigentiam prædicatorum essentialium, hocque sensu semper facit optimum, & tale optimum sæpè contra Manichæos posuere Patres, ita, ut si quid non ita perfecti reperiatur in mundo, rejiciatur id in naturas rerum, non in conditorem.

2. **SENSUS** est ad hominem. Quia scilicet Ethnici concedebant, aliqua esse optima à Deo condita, dicunt ergo Patres, Deum semper facere optimum, eò, quod, quæcunque optimitas in illis optimis reperiiri potest, reperiatur proportionatè & in aliis entibus.

3. **SENSUS**, optimum appellari ad significandam excellenter & energicè bonitatem rerum, sicut

sicut cum dicit scriptura: quod Deus viderit ea quæ creavit valde bona, cum tamen ly valde non plus in objecto significet, quam quod sint bona. Cyrilli locus si simpliciter accipiatur, multum probat; quia probaret, etiam necessitate physicâ Deum velle optimum; necessitate ethicâ physicâ, vel potius metaphysicâ producit VERBUM: fortèque illic loquitur Cyrillus de volitione consimili ei, de qua Augustinus dicit, quod voluntate Pater generet filium, h. e. non coactè, & cum inclinatione naturæ. Videndum hic quid alii in hac materia respondeant?

RESPONDERI solet 2. Authoritates Patrum non plus velle, quam quod Deus semper velit ex optima voluntate, sine ulla malitia & imprudentia: item, quod faciat omnia convenientissimè, ut inquit Suarez d. 4. Sect. 5. juxta finem à se intentum. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT: Tum quia optimum non spectatur hic ratione voluntatis, sed ratione ipsius objecti. Alias Patrum argumenta, quæ afferunt contra gentiles, nihil concluderent; volebant enim probare, objecta, quæ Deus facit, esse bona, idque ex eo, quod Deus semper faciat optimum; quæ ratio non concluderet, si sensum haberet, quod Deus faciat omnia ex optima voluntate: non rarò enim, etiam inter homines, accidunt aliqua, ex optima voluntate, quæ tamen in se bona non sunt. Tum quia optimum spectatur hic in se, non verò prout à Deo appetitur; non enim ex eo est jam res optima, quia à Deo appetitur; Ergo cum Patres dicant, Deum semper facere optimum, non dicunt ex eo id contingere, quia appetitur optima voluntate, vel quia appetitur secundum finem à Deo intentum. Tum quia, vel semper Deus optima media eligit ad finem, vel non semper: si non semper, ergo non semper convenientissimè operatur; convenientius enim operaretur, si melius mediū elegisset, si semper optima media eligit: Ergo ista optimitas non debet referri in ipsam rationem agendi divinæ sapientiæ, sed in ipsum objectum.

RESPONDET 3. Lugo, Deum facere semper optimum: Primò, quod faciat optimum secundum convenientiam connaturalitatis, quatenus Deus, non solum singulis creaturis, sed etiam toti universo dat id, quod connaturalissimum esset; & ita, quamvis melius esset igni resistere semper aquæ, quam interdum cedere, quia tamen non esset id proportionatum cum natura, & temperamento proprio, nec ita utile universo, sit, ut non resistat semper aquæ. Secundò sensus est, quia scilicet Deus, optima quæque condidit, secundum proportionem pulchritudinis, in ordine ad hoc totum, ubi ipsa varietas decora est. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT: Tum quia, vi hujus doctrinæ sequitur, quod cum Deus facit miracula, quæ sunt etiam optimum quid, non faciat quid optimum, quia facit contra exigentiam na-

turalem causarum & temperamentorum, quibus satisfacere, dicitur esse optimum. Tum quia, non est ratio, quod Deus intendat semper optimum finem: Ergo nec erit ratio, quod intendat optimum, secundum proportionem multitudinis. Unde multa cogitari possunt, quæ si ponerentur, & servarent varietatem, & arguerent pulchritudinem universi, adeoque magis optimum facerent. Tum quia non esset hic necesse recurrere, ut recurrit Lugo, ad proportionem universi; quia quantumvis medietatem hujus varietatis entium creasset Deus, creasset optimum, quia etiam fuisset tunc sua proportio in illo voluto universo, consequenter in his principiis, medietas optimi, optimum esset.

OBJICITUR 2. Authoritas S. Thom. i. contra Gentes cap. 7. Ubi S. Thomas ex eo dicit, Deum velle multitudinem rerum, quia is qui amat se, vult sibi optima & meliora, & multiplicari, quantum possibile est.

RESPONDETUR, nihil illo loco agere S. Th. de necessitate morali, sufficitque ut intelligatur de ut plurimum &c.

OBJICIT 3. Granado inductionem, quæ probat Deum facere optimum.

RESPONDETUR. Reflexendo mentem ad tot quæ conceduntur possibilia, quæ de facto non dantur, & tamen haberent in se insignem perfectionem; rectè inferetur, quod inductio non sit plena.

OBJICITUR 4. Deus habet infinitam inclinationem ad bonum, sed quod major est inclinatio, eò minor est libertas: Ergo si habuit infinitam inclinationem, v. g. ad Incarnationem, necessario illam & non liberè posuit.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, probaret enim etiam existentiam Petri, necessariam esse, nam ad illam inclinatur Deus seipso, adeoque inclinatione infinita. Ordinariè etiam dici solet, quod illa inclinatio sit entitativè infinita, non autem in ratione inclinationis formaliter. Addo, fieri posse, ut magis inclinet finita materialiter inclinatio, quam infinita materialiter: nam certum est, voluntatem beati, viso Deo, inclinari inclinatione finita materialiter, & tamen necessitatur ad amandum Deum; jam autè Deus, infinita entitativè & materialiter inclinatione, inclinatur ad ponendam formicâ, ad quam ponendam non necessitatur.

INSTABIS 1. Dei volitio est honesta infinitè, ergo illâ honestior dari non potest: Ergo eligit semper optimum; nam est honestior, quæ melius vult.

RESPONDETUR. Etiam respectu Petri & ejus existentia, esse Dei volitionem honestam infinitè, neque tamen necessitatur Deus ad ponendam existentiam Petri; sufficitque hic admittere, quod sit divina volitio ita honesta, ut illâ honestior entitativè dari non possit; quod illi convenit, etiam dum vult non optimum; sed non est necesse, ut sit honestissima terminativè.

INSTAT 2. Aldrete Disp. 1. sect. 8. Hæc inclinatio etiam materialiter infinita, nequit non minuere aliquid de libertate divina, posita enim illa inclinatione, non erit Deus æquè indifferens ad incarnandum, vel non incarnandum. Et ceterè, si foret illa inclinatio infinita etiam formaliter, hoc ipso necessitaret: Ergo etiam necessitabit, licet non sit formaliter infinita.

RESPONDETUR. Negando, ab infinita inclinatione materialiter, minui libertatem, quia posset Deus, si vellet, non sequi illam; jam autè, si foret inclinatio formaliter, seu in vi inclinandi infinita, non posset jam illam non sequi Deus.

INSTABIS 3. Ex doctrina S. Thomæ, & S. Dionysii, concedenda est Deo aliqua infinita propensio, ad se communicandum, quæ non solum materialiter, sed in aliquo genere propensionis, sit infinita & summa.

RESPONDETUR. Illam propensionem, esse propensionem ad communicationem ad intra, quæ reverà etiam in genere inclinationis est infinita; respectu autem reliquorum objectorum, ponitur à nobis inclinatio, non nisi materialiter infinita, quia scilicet est ipsemet Deus, adeoque est inclinationis infinitudo, in genere entis; consequenter in linea non destruentis libertatem, cum non sit in linea formaliter inclinationis.

OBJICITUR 5. Vel rationabilius est Deum eligere minus bona, vel non rationabilius, si est rationabilius: Ergo etiam tunc eligit Deus majus bonum; si non est rationabilius: Ergo aliqua Dei electio minus rationabilis est.

RESPONDETUR. Nec rationabilius est Deum eligere minus bonum, nec minus rationabile, sed tantum rationabile. Ratio autem negandi est; quia si rationabilius est, ut minus bonum eligat, nunquam posset eligere majus bonum, hoc ipso enim ageret contra id, quod rationabilius est; si autem est minus rationabile eligere minus bonum, illud bonum eligendo, Deus irrationabilius ageret. Addo tunc tantum comparativum de aliquo objecto affirmari vel negari posse, quando subjectum, de se, comparisonem talem admittit; & sic non possumus dicere ignem A, & ignem B, esse minus vel magis caudum: quia uterque comparisonem majoris & minoris non admittit, sed tantum æqualis; cum ergo Deus, ex dictis, comparisonem majoris & minoris in electionem boni non admittat in se, hinc fit, ut dici de eo non possit, quod magis vel minus rationabiliter tunc operetur; consequenter, quod hoc & non aliud eligat, rejici id debet, in placitum ejusdem.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Variæ Paritates.

1. EST. Quò quis se perfectius amat, eo sibi perfectiora bona appetit: Ergo qui se perfectissimè amat, volet sibi perfectissima bona: Ergo volet semper optimum.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare; probaret enim, etiam physicè determinatum esse Deum ad volendum optimum, physicè enim perfectissimè se amat. Deinde, duplicia communiter censentur esse bona, quædam intrinseca, quædam extrinseca. Ex amore, sequitur, ut intrinseca bona amentur, sine quibus scilicet amans non potest esse, vel ægerrimè potest esse; alia autem sunt bona extrinseca, sine quibus amans esse potest, & æquè bene; & hæc non necessariò velle dicitur. Porro & Deus amat sibi bona intrinseca necessariò, bona autem extrinseca non est necesse ut velit optima; id quod ideo, quia bona intrinseca, quæ sibi amat Deus, sunt infinitè bona; bona autem extrinseca, sunt bona limitata, & mista imperfectionibus, adeoque non tantum divinam voluntatem alliciunt. Quamquam, conformiter ad dicenda inferius, antecedens est verum, de solis creatis, increata autem voluntas aliter se habet: quia cum nullum sit principium, ratione cujus debeat tribui creaturæ, quòd æquè omnibus suis actibus perficiatur, bene inferitur, quòd, si se perfectius amat, perfectiora sibi bona appetat; datur autem fundamentum, vi cujus æquè debet perfici Deus omnibus suis actionibus.

INSTABIS. Quamvis omnes actus Dei concedantur esse æquè honesti intrinsecè, cum hoc tamen stat, ut denominari possit voluntas illius extrinsecè honestior, æqualitasque honestatis internæ, non destruet, quominus ipsa objecta sint inæqualis honestatis.

RESPONDETUR concedendo totum. Sicut enim extrinsecè & objectivè, non omnes actus Christi erant æquè honesti, nec sequebatur, quòd deberet Christus, omnes æquales non nisi, etiam extrinsecè honestate, exercere actus; ita & in præsentì, idem dicendum.

2. PARITAS. Beatus videns Deum, necessitatur ad amanda Deo semper non nisi optima; Ergo & Deus necessitabitur ad optimum.

RESPONDETUR. Et antecedens esse dubiū, & consequentiam negandam. Antecedens est dubium; quia quamvis necessitetur beatus, ad volenda bona Deo intrinseca, quæ omnia, sunt optimum; non necessitatur tamen ad volenda bona extrinseca optima; aliàs necessitaretur ut se difformet voluntati divinæ, quæ casu saltem aliquo non vult sibi optima. Disparitas etiam est; quia habetur objectum necessitativum beatorum ad volenda illa optima; nempe ipsum summum & optimum bonum clarè visum; nullum autem est principium, hoc est, objectum extrinsecum, quod necessitet Deum ad sui amorem. Deinde retineri potest jam data disparitas; quòd scilicet nullum habeatur principium, quòd suadeat æquè perfici voluntatem beati, volendo etiam minus bonum; datur autem principium suadens id de Deo.

3. PA-

3. PARITAS. Intellectus divinus, semper dicitur eligendum esse quod melius: Ergo & voluntas semper id eligit.

RESPONDETUR, negando antecedens. Tum quia non probatur. Tum quia, multa sunt in mundo, quæ prædictavit intellectus divinus, quæ tamen non sunt optimum, de quo hæc. Tum quia tolleretur jam omnino divina libertas, quia non posset jam non eligere illud prædictatum; unde ex conditione intellectus, non plus sequitur, quam, quod si quid melius sit, iudicet illud intellectus divinus esse melius: sed non sequitur, quod iudicare debeat, hoc tantum eligendum esse.

4. PARITAS. Ad perfectum artificem spectat facere opus suum optimum; Ergo & Deus, qui est perfectissimus artifex, debet facere optimum semper opus.

RESPONDETUR: In hoc servari paritatem, quod sicut optimus artifex ponit opera optima, servando essentialia artificii, & addendo accidentaria, quæ illius excellentiam notent; ita etiam & Deus facit optimum; hoc est, producit unamquamque rem, secundum essentialia illius prædictata, tribuitque accidentia commendativa artificis Dei: & sicut opera artificum, possunt crescere & crescere in accidentalibus perfectionibus, ita & opera divina.

5. PARITAS. Si aliquis, potens agere aliquid bonum majus pro gloria Dei, nollit illud agere, convinceretur minus perfecte diligere Deum: Ergo etiam si Deus nollit optimum, cum posset velle, convinceretur minus se diligere: Ergo cum summè se diligit, debet velle optimum.

ANTE QUAM respondeatur ad objectionem propositam:

SUPPONO 1. Magis intrinsecè, ex objecto loquendo, perfici Deum suis actionibus, quam creaturam suis. Ratio: quia nihil magis ullo prædicato perficitur, quam suo esse; cum maxima perfectio sit ipsum esse: cum ergo, omnes actus Dei, sint ipsum Dei esse, sequitur, Deum magis perfici suis actibus, quam creaturam suis. Deinde, illa, vi quorum, si Deus non esset Deus, evaderet & intelligeretur Deus, hoc ipso magis perficiunt Deum, quam perficiant hominem illa, quæ, si homo non esset homo, & fierent, non facerent nihilominus hominem per se loquendo; sed natura divinarum actionum est talis, ut si per impossibile Deus non esset Deus, vi illius actionis esset Deus, nam actio illa Deus est; jam autem vi actionis ab homine elicita, homo non esset homo, per se loquendo, quia actio illa non est homo: & quamvis, si actio illa sit vitalis, hoc ipso quia vitalis actio hominis poneretur, deberet supponi homo: non tamen vi illius actionis, esset homo, per se loquendo, quia actio vitalis, non est homo. Dixi ex objecto loquendo, magis perfici Deum suis actibus; quia, si velis per-

fici non nisi illud, quod ex non habente perfectionem transit in habentem perfectionem, in isto sensu non perficitur Deus, sed sola creatura; ex quo ulterius supposito, colligis, cur Deus minus & magis suis actibus perfici non possit physice: quia scilicet cum magis & minus dicant inæqualitatem, hoc enim est ejus formalisativum; rursus, cum inæqualitas dicat relationem, nihil enim sibi est inæquale, sed ad aliud; item cum relatio importet pluralitatem, relatio enim est ad aliud, aliud autem, est pluralitas; hinc cum eadem Dei entitas, pluralitatem nullam dicat, nec actus divini, qui idem sunt cum Deo, importare poterunt ullam pluralitatem, consequenter nec inæqualitatem, atque adeo nec magis & minus.

SUPPONO 2. Quamvis ex vi positæ actionis creatæ, non sequatur hoc ipso esse creaturæ, per se loquendo; nihilominus etiam creatura perficitur suis actibus. Ratio: Tum quia per illos, potentia transit in actum, actus autem est perfectio potentie. Tum quia consequi finem à natura ordinatum, est perfici, natura enim perfectionem intendit; ordinatur autem potentia ad actus, tanquam ad finem. Tum quia assimilari perfectissimo, debet esse perfectio; jam autem vi actus, acquirit creatura assimilationem perfectissimo, hoc est, Deo, qui est actus purus, & cui magis assimilatur actus, quam potentia. Unde etiam in Deo actus primus intelligendi, ponitur non nisi per ordinem ad nostros conceptus, actus autem secundus, nemine cogitante est. Hæc porro perfectio, quam sumit creatura ab actibus, dici potest partim intrinseca, partim extrinseca; intrinseca, quia supponuntur esse actus recepti in suo principio: extrinseca autem, quia est perfectio distincta realiter ab ipso operante.

SUPPONO 3. Quamvis nullus sit talis actus creaturæ, qui illam non perficiat physice, nihilominus, non omnes æqualiter actus perficiunt creaturam physice. Ratio est: quia imprimis, si comparentur actus supernaturales & naturales inter se, cæteris paribus, semper magis perficiet actus supernaturalis. Ratio: quia perfectio actus, est eadem cum entitate actus; & sicut actus entitatem non habet à se, sed à principio: ita & perfectionem ab illo accipit; & quia unumquodque principium agit secundum vires sibi debitas, potentiamque illis identificatam, quod agens erit nobilius, habebit etiam potentiam nobiliorem, adeoque vim communicandi entitatem nobiliorem; quod intelligitur, si producantur effectus univoci, in ordine entis, vel ordinis; cum ergo principium supernaturale sit nobilius naturali, & producat univocum effectum in ratione ordinis, hoc ipso producet etiam nobiliorem entitatem. Rursus, cum ad actum supernaturalem, concurrat etiam po-

rentia naturalis, prout elevata, eam perfectionem quam tribueret actui naturali, tribuit etiam supernaturali, seclusa imperfectione naturalitatis; consequenter actus supernaturalis, ex duplici principio perfectionem habebit; & oriundam à potentia naturali elevata & à principio supernaturali. Dixi ceteris paribus; quia si sit actus voluntatis supernaturalis, & actus cognitionis demonstrativæ naturalis, quamvis actus voluntatis, ratione ordinis, utpote supernaturalis, sit perfectior, in modo tamen essendi, imperfectior est. Si autem fiat comparatio inter actus ipsos inter se, tam naturales, quam supernaturales, etiam hi non æqualiter physice perficiunt suum principium; nam actus opinionis est actus intellectus, non est tamen dubium, magis perfici intellectum demonstratione. Rursum, dolor de peccatis, qui est contritio supernaturalis, ite attritio supernaturalis, uterque est actus voluntatis, uterque supernaturalis; nihilominus creatura magis perficitur actu contritionis, & sic de ceteris. Quæ omnia in hoc fundantur; quia quod est maior perfectio, si perfectibili uniatur, communicat illi perfectionem maiorem; hoc enim perficere, est ipsum istud uniri tali subjecto: Ergo si actus ipsi sint magis perfecti physice, perfectius etiam, & inæqualiter per excessum, perficient subjectum.

SUPPONO 4. Unde oriatur æqualitas vel inæqualitas actuum, quibus physice, æquè vel inæqualiter, perficitur creatura, præcipuè in ordine supernaturali. Et imprimis hoc oritur ratione principii nobilioris, quod sic explicatur. Sicut se habet ordo naturæ in naturalibus, ita ordo supernaturalis in supernaturalibus, ipse enim ordo supernaturalis, ordinatur ad perficiendum naturalem, quæ perfectio non daretur, nisi servato ordine perfectibilis & perfectivi. Porro in ordine naturæ, quamvis omnia participant rationem naturalis, nihilominus datur inæqualitas principiorum, potentiarum, qualitatum, unde lux nobilior est nigredine, intellectus voluntate, posito, quod sint distinctæ potentie; ita igitur, etiam in ordine supernaturali, quamvis omnia participant rationem supernaturalem, quæ est quasi generica ratio: tamen specificæ rationes, maiorem vel minorem perfectionem inducere possunt; & sic habitus fidei, perfectior est habitu religionis, religio perfectior habitu fortitudinis, & sic de ceteris; ille ergo actus supernaturalis magis perficiet physice operantem, qui est, à principio nobiliori physice. Dictum autem supra, cur actus sequatur perfectionem principii.

SUPPONO 5. Quod etiam actus qui proficiunt ab eodem principio, possint non afferre æqualem perfectionem physicam operanti. Quod sic proponitur. Agentia materialia, quæ virtutem agendi, & in entitate, & simul etiam gradualiter divisibilem habent, si non producant

effectum virtuti suæ adæquatum, vel ob resistantiam passi, vel ob defectum debitæ applicationis, hoc ipso non ponent æquè perfectum effectum, ac cum vincitur tota resistantia passi, accedit debita applicatio, &c. quamvis uterque effectus, eidem denominativè principio tribuatur: hocque ostendit inductio in qualitatibus actibus. Porro quod facit formalis divisibilitas virtutis agendi, in agentibus materialibus, hoc facit æquivalens divisibilitati, major vel minor applicatio principii indivisibilis in entitate, v.g. habitus alicujus supernaturalis, præcipuè verò adjuti gradualem multipliciter intensio; casu ergo quo v.g. habitus charitatis intensus ut 8. producat actum intensum ut 6. & casu quo idem habitus producat actum nonnisi intensum ut 2. illi effectus procedent ab eodem numero principio, nihilominus nec ipsi æquè perfecti erunt physice, nec æquè perficient subjectum, in quo recipiuntur; quia scilicet ipse habitus, non tota sui latitudine, viriumque pondere, in actum incubuit. Quando autem, ab eodem physice principio, principiantur actus, qui principiantur à diversis realiter principii, in tantum, idem physice principium, principiat nobiliores actus, vel minus nobiles, in quantum æquivalent, minus vel magis nobili principio distincto realiter. Addo nihilominus fieri posse, ut actus in entitate physica imperfectior, sæpius repetitus, moraliter æstimetur plus in ordine ad meritum, sicut plus æstimatur 100. pondo æris, præ scrupulo auri.

SUPPONO 6. Quod Objectum est nobilius, vel difficilius, vel ejus exercitium ad maiorem Dei gloriam extrinsecam, ponendam, magis accommodatum, eo præsumitur vel nobilior habitus concutisse, vel plures simul, vel unus habitus ex majori latitudine; sic v.g. dicit Christus: Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis. Unde etiam, actus martyrii præsumitur esse perfectior reliquis; quia ad eum concurrunt imprimis habitus charitatis, quæ præfert vitæ propriæ, testimonium exhibendum veritati Dei amati: concurrunt fides, quia credit illam veritatem: concurrunt fortitudo perpetiendi adversa, & cætera similia. Dixi quod id præsumatur: quia ex objecto loquendo, fieri potest, ut aliquis actum circa minus objectum, perfectionem eliciat, quam alius, circa objectum majus. Unde etiam aliquis, cum illa femina, potest majori meritò duos obolos gazophylacio importare, quam alter magnam summam.

SUPPONO 7. Si ponas casum, æqualem scilicet esse perfectionem actus physici, & tamen inæquale objectum; eo casu, illi actus, secundum id, quod dicunt in recto, h.e. secundum entitatem physicam, erunt æquales, secundum autem quod dicunt in obliquo, & pro connotato, erunt inæquales. Unde etiam inæquale est bene-

beneficium, quo Deus voluit muscam in bonum universi, & beneficium Incarnationis; nam beneficia illa, secundum quod dicunt in recto volitionem Dei, sunt æqualia physicè, licet determinative sint inæqualia.

SUPPONO 8. Actus æquè perfectos physicè, quorum unus habet objectum nobilius, & alter minus nobile, esse æquales honestate moralis secundum id, quod dicit in recto honestas moralis, esse autem inæquales honestate moralis, secundum id, quod dicit in obliquo illa honestas. Ratio: quia honestas moralis, cum non sit ullum accidens physicum superadditum actui, & tamen sit perfectio ipsius, non est aliud entitativè, quam ipsemet ille actus: Ergo, si physicè illi actus sunt æquales, etiam honestas moralis, secundum id quod dicit in recto, æqualis erit, cum sit ille idem actus physicus; non erit tamen æqualis honestas moralis, secundum id, quod dicit illa in obliquo, quia in obliquo dicit ipsa objecta, inter quæ supponitur non esse æqualitas.

SUPPONO 9. Posse concedi, etiam in actibus divinis, inæqualitatem honestatis moralis, seu honestatis extrinsecæ; dixi inæqualitatem honestatis extrinsecæ, quia illi actus, cum sint ipsemet Deus, inæqualitatem physicam admittere non possunt. Ratio suppositi: Tum quia hæc inæqualitas extrinsecæ honestatis, non importat ullam imperfectionem in Deo, imò auget, si tamen, ipsa inæqualitas honestatis extrinsecæ, supponat, æquè semper Deum manere perfectum, & independentem ab extrinsecis, in sui perfectione. Tum quia inæqualitas extrinsecæ honestatis non aliud est, nisi inæqualitas objectorum, quæ necessariò ponenda. Tum quia quæro, an homo sit obligatus ad maiorem gratitudinem propter beneficium INCARNATIONIS, quam propter muscam? si non est obligatus ad maiorem gratitudinem, oppones te per hoc sensui fidelium communi, & Augustini lib. 2. Confess. 16. *Super omnia amabilem te mihi reddidit bone Iesu, ignominiosissima & amara mors tua*, essentq; beneficia divina deterioris sortis, quam sint beneficia hominum, hæc enim ad maiorem gratitudinem obligant, quod sunt maiora. Quod si major gratitudo debeat pro INCARNATIONE: hæc majoritas beneficii, non potest fundari in intrinseca entitate volitionis quæ vult INCARNATIONEM; nam hæc est par in entitate cum volitione muscæ: Ergo hæc majoritas beneficii, fundari debet, non nisi in aliquo extrinseco; Ergo ulterius, si potest haberi majoritas beneficii, majoritas item obligationis ad gratitudinem, ratione extrinseci, potest etiam ratione ejusdem fundari major honestas moralis. *His suppositis*

NEGATUR Consequentia. Disparitas est, quia quamvis magis perficiatur Deus suis actibus, quam creatura suis, ut dixi supposito 1. ta-

men etiam creatura suis perficitur, ut dixi supposito 2. hæc tamen perfectio physica, etiam æqualiter ab omnibus non habetur, ut dixi supposito 3. oriente hac inæqualitate physica in creatis ratione principii, ut dixi supposito 4. Vel applicationis ipsiusmet principii, ut dixi supposito 5. Universaliter autem præsumitur esse actus nobilior, ratione principii vel applicationis, quando objectum ejus est nobilius, ut dixi supposito 6. si cætera sint paria, ut dixi supposito 7. consequenter tali operatione circa objectum melius, magis perficietur creatura, & quidem perfectione, non tantum se tenente à parte objecti, quod etiam Deo convenit, ut dixi supposito 9. sed perfectione tenente se etiam à parte ipsius actus; quia autem Dei actus sunt iidem, & ratione principii, & ratione suæ entitatis, ideò non magis unus physice perficiet Deum, quam alius: nisi quod possit etiam in illis admitti inæqualitas extrinseca ratione objecti, stante semper æqualitate honestatis etiam moralis, secundum id, quod dicit honestas moralis in recto, ut dixi supposito 8.

Conformiter ad dicta supra, alia disparitas est, quia cum non sit necesse creaturæ concedere tantam perfectionem actuum, ut non magis perficiatur actu, versante circa perfectius, quam imperfectius objectum, poterit adhuc creatura magis perfici, versando circa perfectius objectum; jam autem est necesse talem perfectionem concedere Deo, vel ex eo ipso quia non implicat, & quia facit Deum magis illimitatum & independentem.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta Recentiorum.

ATtingit aliqua in hac materia Aldrete, quæ hic expendenda sunt.

OBJECITUR 1. Supposito quòd ordini gratiæ debeat unio hypostatica, non potuit Deus producere ordinem gratiæ, quin esset moraliter necessitatus ad INCARNATIONEM; quia universim, Deus est moraliter necessitatus ad non denegandum alicui essentis suas proprietates: quia nisi hæc necessitas in Deo ponatur, tam erit contingens ignem esse calidum, quam frigidum; nec esset ulla firma persuasio, Beatissimam, potius esse immaculatè conceptam, si Deus in operibus suis non attendit ad id, quod convenit: & cætera similia.

RESPONDETUR imprimis negando suppositum, quòd ordini gratiæ debeat unio hypostatica; bene enim posset nobis ordinari gratia, per solam miserationis Dei clementiam, sine ulla unione hypostatica; sed posito etiam, quòd ordini gratiæ unio hypostatica debeat; negatur adhuc moraliter necessitari Deum ad Incarnationem; negatur item Deum moraliter neces-

necessitari ad non negandum alicui essentiae suas proprietates, supple physicas; necessitatur enim ad non denegandas proprietates metaphysicas, utpote enti ipsi identificatas. Quod autem non necessitetur Deus moraliter ad non denegandas dictas proprietates, ratio est: quia ex una parte, exigentiae creaturae subsunt absoluto Dei dominio, potenti disponere prout voluerit; ex altera parte, perfectius hoc erit dominium, si nulla ad hoc necessitate stringatur Deus. Rursus, quia nullum est fundamentum, ponenda in Deo talis necessitatis. Deinde, quia non implicat, ut in necessitatus ad hoc maneat Deus, licet id ordinariè praestet; quae in obligatio auget perfectionem divinam. Non erit autem igni aequè contingens esse calidum ac frigidum, exinde; quia hoc ipso, quod aliquid sit, habet suam essentiam; si habet suam essentiam, habet etiam radicem exigitivam proprietatum suarum, etiam physicarum; si habet hanc radicem, Deus, qui est author naturae, seu correspondivum effectivum eorum, quae exiguntur à natura, sicut est effectivum ipsius naturae, Deus, inquam, praesumi debet ita facere, sicut creaturae exigunt; quia & in creaturis frustranea esset haec exigentia, & in Deo frustranea vis satisfaciendi his exigentiis; succeditque liberum decretum de satisfaciendo illis: ut ergo concludatur, ignem potius esse calidum, haec faciunt. 1. Exigentia naturalis ignis. 2. à parte Dei id facit, quia ille in quantum est causa prima in ordine naturali, habet vim huic exigentiae responsivam, quae non debet frustrari, nisi Deus id velit. 3. à parte voluntatis divinae, quae in necessitata determinavit se liberè, ad his exigentiis satisfaciendum; hinc nisi à posteriori per experientiam constet, quod ad hoc in particulari se Deus noluerit obligare, ut illius exigentiae satisfaciatur, temerarium esset dicere, quod non satisfecerit illi exigentiae. Quod immaculatè sit concepta beatissima, hoc habetur ex probationibus ostendentibus, libertatem divinam ad hanc se potius partem determinasse, in circumstantia motivorum, praesentantium sese, ut si vellet, ita decerneret liberè.

INSTABIS I. Unde provenit illa securitas iudicii, quo affirmamus, hominem comburendum, si conjiciatur in ignem.

RESPONDETUR, ex dictis tribus capitibus, illam oriri.

INSTABIS 2. Nisi ponatur necessitas moralis, ad non denegandum essentiae suas proprietates, non poterit explicari, in quo differat debitum ex natura rei, à debito solius congruitatis; & si illud prius est majus debitum, habet majorem vim obligandi, ac proinde, non esset aequè facile, oppositum evenire, consequenter erit major necessitas.

RESPONDETUR: debitum ex natura rei, per hoc differre à congruitate; quia debitum

ex natura rei, est exigentia reperibilis in re creata, ita explicabilis: ut si non pertineret ad Deum esse causam primam, sed sibi creatura sufficeret, deberet se reducere ad hoc habendum; vel est exigentia, cui nisi satisfiat, non erit res in statu suo connaturali: quando autem est debitum solius congruitatis, non est talis exigentia; sed est, vel sola non repugnantia, vel habilitas ad bonum, vel, quod licet non habeatur, habebitur adhuc status connaturalis. Unde si Deus instantissimè rogetur, ut caeco visum restituat, non est in caeco exigentia visus, sed congruitas; quia status amissi oculi, non habet exigentiam visus: è contra, si haberet oculum bene dispositum, esset tunc temporis debitum. Differt item, quia debitum ex natura rei, est objectum amoris; amat enim sibi natura illam proprietatem amore innato; jam autem debitum congruitatis, est objectum nonnisi complacentiae, potiusque optabile, quam exigibile. Denique quia debitum ex natura rei, dicit obligationem libertatis divinae, nisi oppositum probetur; consequenter, non reductionem in usum eorum, quae sunt per accidens; consequenter, non erit tunc necessitas, sed solum importabitur titulus, ut exerceat Deus vim, quam habet, respondentem exigentiis creaturarum, eò, quod decreverit liberè eam vim exercere. Nullam autem obligationem dicit congruitas.

INSTABIS 3. Non posita dicta necessitate, inexplicabile est, quomodo independenter à quotidiano experimento & inductione, persuadere nobis possimus, Deum fecisse quod melius.

RESPONDETUR. Negatur suppositum, poterat enim defacto Deus, hoc universum producere melius. Deinde independenter à quotidiano experimento, persuadere id nobis possemus, ex tribus capitibus supra assignatis. Unde jam ita ordinata sunt signa circa satisfaciendum his exigentiis: pro primo signo responderet exigentia creaturarum; pro secundo, advertit Deus ad vim in se, ut satisfaciatur his exigentiis; pro tertio praesentantur rationes, ut his exigentiis fiat satis, quamvis posset non fieri illis satis; pro quarto est decretum faciendi satis illis exigentiis; tuncque demum succedunt experientiae, quod fiat satis his exigentiis.

OBJICITUR 2. Aliqua sunt Deo impossibilia moraliter: Ergo etiam potest dari necessitas moralis in Deo. Antecedens probatur ex Marci 6. ubi dicitur de Christo: *Non poterat ibi ullam virtutem facere*, quem locum Nazianzenus Oratione 2. de filio Dei, accipit de impossibili moraliter.

RESPONDETUR. Haberi titulum unde desumatur impossibilitas moralis, idque non involvendo ullam imperfectionem in Deo; scilicet ex eo, quia Deus contra positivum nulum voluntatis creatae, ceteroqui à se frangibilis, decrevit non agere; ut est impossibile morali-

ter,

ter, ut *is medicina offeratur*, inquit citatus Nazianzenus, *quibus incredulitas perniciem invenit*; non habetur autem titulus, quo necessitetur moraliter Deus, & si necessitabitur ex suppositione sui decreti, non necessitabitur necessitate de qua hic.

OBJICITUR 3. Non repugnat ut ponatur in Deo etiam metaphysica necessitas, nempe nunquam invertendi jura naturæ.

RESPONDETUR: Si sit res de necessitate metaphysica, antecedente omne Dei decretū, hæc non datur; idque ex principio negativo: quia talis perfectio innecessitabilitatis, est possibilis: Ergo debet Deo dari. Si autem sit necessitas metaphysica, ex suppositione decreti, hæc quidem datur, sed non minuit libertatem divinam; estq; nonnisi ex eo, quia vult.

OBJICI potest 4. Magis Deus amat objectum melius: Ergo & ad optimum necessitatur.

RESPONSUM est, quòd Deus majus bonum non amet magis entitative, licet amet magis terminative; potestq; dici, quòd ex modo etiam concipiendi, magis amet majus bonum, licet ad hoc non necessitetur. Quòd autem possit dici, Deum ex modo nostro concipiendi, majus bonum, amare magis. Ratio est: Tum quia nihil vetat, ut actus intellectus divini, penetrantes vim causarum moralium, physicarum, metaphysicarum, secundum exigentiam objecti enuntient, certius secuturum effectum physicum, quam morale, & metaphysicum quam physicum; Ergo etiam nihil vetabit, ut voluntas divina, concipiatur magis amare objectum melius, quam non melius. Quia sicut notitivi perfectio est, accommodare sese conditioni noscibilis; ita & perfectissimi volitivi, perfectio est, accommodare sese bonitati objecti; essetque dissonum, magis amare minus bonum; imò esset disordo appetendi. Tum quia, si adsit objectum infinitæ amabilitatis, etiam ex modo nostro concipiendi, infinite illud diligit Deus: Ergo etiam si adsit objectum majoris amabilitatis, etiam ex modo nostro concipiendi, magis illud amabit Deus. Tum quia, si objectum quod est amabilius ex modo nostro concipiendi, non magis amaret Deus: & esset illud amabilius, ut supponitur; & non esset: quia, quod non est dignum majori amore rectissimi amativi, hoc ipso à posteriori, non esset amabilius; datur enim nexus essentialis amativi cum amabili seu bono: hinc, si non necitur magis hoc amativum cum hoc amabili; hoc ipso saltem à posteriori non est magis amabile, cum finis amabilis sit, exercitium amativi circa illud. Et certe sicut perfectiones divinæ prout subeunt nostris conceptionibus non sunt æquales, ut dictum in prima parte, sic poterit concedi inæqualitas amandi minus bonum, modò, tota

inæqualitas illa, sit ex modo nostro concipiendi. *Ex quo ulterius*

INFERES, quòd magis voluntas divina amet Incarnationem, quam non Incarnationem, utpote majus bonum (aliàs enim si Incarnatio non esset majus bonum, & magis amabile, non esset majus bonū, unitam esse Personam VERBI in Christo, nec magis amabile etiam extrinsecè, quam Petrum non esse terminatum Personā divinā: cum hoc tamen stat, ut in ordine ad decretivum amorem, æquè sit liber; quia ad magis ex modo concipiendi amandum, datur determinativum, major amabilitas extrinseci objecti, non diminuens ceteroqui perfectionem libertatis; non datur autem fundamentum determinativum, ut nonnisi hoc decernatur; determinativumque hoc dari non debet quia contrarium perfectioni libertatis. Et licet in passionis amoribus, major amor minuat libertatem decretivam, trahendo hoc pro decretiva, quod stare debuit pro sola amativa; vel in amoribus creatis ordinatis, procedendo ad decretivam, eò, quòd intrinsecè magis perficiendus sit ille creatus amor, amore magis amati boni, ut supponitur; in perfecto tamen amativo, & quod æquè suis actibus intrinsecè perficitur, manebit decretiva libera.

Hinc jam concesso antecedente argumenti, negatur Consequentia. Immeritò etiam supponit argumentum, dari in creatis objectis optimum: & quantumvis daretur, non esset necessitativum, ex dictis: sufficeretq; illud amare liberè, licet amore optimis debito.

OBJICITUR 5. Potest concedi, quòd amore aliquorum objectorum, intrinsecè, & ex modo concipiendi, perficiatur Deus: Ergo etiam poterit concedi necessitari illum moraliter.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam; quia posito, quòd magis extrinsecè perficiatur Deus ab amore melioris boni, non ponitur ulla in Deo dependentia perfectionis intrinsecæ ab aliquo creato, quam independentiam habere, est perfectio possibilis; jam autem si poneretur in Deo necessitas ad volenda objecta extrinsecæ, esset necessitas nemine cogitante, adeoque intrinsecæ, & tamen dependens ab aliquo extrinsecæ. Rursus, posito, quòd Deus amet magis ex modo concipiendi meliora, & posito simul, quòd non necessitetur ad amandum, colligentur in Deo duæ perfectiones; nam perfectio est, magis amare, amabile magis: perfectio item est, à finito & extrinsecæ, non necessitari voluntatem divinam; utraque hæc perfectio colligitur, si dicatur amare Deus magis, majus amabile, non tamen ad illud necessitari; quæ collectio perfectionis non esset, si necessitaretur Deus.

INSTABIS. Potest pendere omnipotentia divina à creaturis: Ergo potest etiam ab intrinsecis pendere honestas voluntatis.

RESPON-

RESPONDETUR: Verum esse antecedens, si intelligatur de dependentia termini: quo sensu verum est & consequens; modò hoc etiam supponatur, quòd sicut non magis est perfecta intrinsecè omnipotentia, dum producit muscam, quàm cum producit Angelum, est enim utrobique omnipotentia, idem Deus, adeoque se ipso non perfectior: sed tota majoritas est in extrinsecis terminis; ita & in præsentì teneri debet, æqualem esse intrinsecam perfectionem, sive Deus majus bonum, sive minus bonum velit: sed totam esse varietatem in extrinsecis objectis.

QUÆSTIO II.

De necessitate INCARNATIONIS supposito Peccato.

PRÆMITTO 1. Solà liberali & misericordi remissione peccati, potuisse Deum salvare genus humanum.

RATIO est imprimis autoritas Patrum, quos interest Augustinus, qui de Agone Christi cap. II. inquit: *Sunt autem stulti, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex femina, & à peccatoribus omnia illa pateretur; poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret.* Idem etiam suadet hæc Ratio; quia ex sola misericordia decrevit Incarnationem, quâ mediante, fieret condigna satisfactio pro peccatis: Ergo etiam ex eadem misericordia remittere potuit peccata.

PRÆMITTO 2. Sicut potuit Deus, per solam misericordiam condonationem, remittere peccata; sic absolutè loquendo, potuit relinquere genus humanum, nec post lapsum illud reparare.

RATIO. Sensus Patrum; & quia Deus, in operibus suis ad extra, liber est; Ergo & in condonatione offensæ præstanda, liber fuit.

PRÆMITTO 3. In hoc esse difficultatem; an scilicet supposito quòd Deus vellet liberare genus humanum non viâ misericordiæ, sed viâ condignæ satisfactionis, necesse fuerit incarnari Deum: dico *Incarnari Deum*: quia parum interest, à quamam persona divina illa satisfactio ponatur. Nomine autem condignæ satisfactionis, venit hic satisfactio ad æqualitatem. Communior est sententia, necessariam fuisse Incarnationem in tali suppositione; licet oppositum sentiat Scotus, post eum Pontius hic. Disp. 38. num. 44. Alexander, Paludanus, inclinatur ad Tapereus & Cajetanum apud Vasquez cum communis sententiam, hic disp. 7. num. 2. Suarez disp. 4. Sect. 2. Valentia d. I. q. I. puncto 5. & alii, tuentur communem sententiam fundatam in Patribus, quos fusiùs recitant. Suffecerit ex Græcis Basilii supra Plal. 28. *Frater non redimit, redimet*

homo. Non, inquit, homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus; quia nullus alius poterat offerre condignum pretium; & ex Latinis Augustinus Enchyridii cap. 108. *Neque per ipsum liberaremur mediatorum hominum Christum, nisi esset Deus.* De quo ipso objecto, sic

DIFFICULTAS I.

An à pura creatura possit fieri satisfactio pro mortali condigna?

DICENDUM est. Quòd pro mortali, non possit fieri à pura creatura, condigna satisfactio.

FUNDAMENTUM hujus Conclusionis est tale. Pro eo quod est infinitum in genere offensæ, non potest satisfieri à pura creatura: sed peccatum mortale, est infinitum in genere offensæ: Ergo pro peccato mortali, non potest fieri satis à pura creatura. Minor hujus argumenti tota, probata est in materia de peccatis; jam autem major, in præsentì tractabitur; hinc major probatur. Si pura creatura posset satisfacere, idque ut supponitur de condigno, hoc est, ad æqualitatem, pro eo, quod est infinitum in genere offensæ, illa satisfactio, vel esset infinita, vel esset finita? Nulla harum potest esse ad æqualitatem. Nam imprimis, finitum non habet æqualitatem cum infinito: Ergo nec finita satisfactio cum infinita offensâ. Non etiam faceret satis infinita satisfactio, posita à pura creatura; quia procederetur secundum terminum non supponentem; quia est impossibilis creata satisfactio infinita, secundum principia, quibus probatur, non esse possibile infinitum creatum categorematicum; consequenter, nec erit possibile infinita gratia, dignificans illam satisfactionem, & elevans ad rationem infinitæ satisfactionis. Sed posita etiam infinita dignitate satisfaciens creaturæ; nondum illa esset condigna, & ad æqualitatem satisfactio; quia, sicut magnitudo offensæ crescit magnitudine offensi, ita dignitas satisfactionis, crescit, & dignificatur dignitate satisfaciens, ad dignitatem offensi; sed est impossibilis æqualitas quantumvis infinitæ creaturæ infinitudine creatæ, si comparatur ad dignitatem infinitam Dei: Ergo nec satisfactio, etiam si foret infinita, æqualitatem haberet. Quòd autem dignitas satisfactionis, sumatur ex dignitate personæ satisfaciens, comparata ad personam offensam, desumitur id communiter ex Aristotele 6. Ethicor. c. 5. ubi agens Aristoteles, an retaliatio, sit ratio æquandi? docet non esse, & subdit; *Si magistratum quis gerens percusserit, percutiendus non est, si autem magistratum quis gerentem percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus*; habet idem S. Thomas hic quæst. 1. art. 2. ad 2dum. S. Bonav. in 3. disp. 20. q. 3. fundaturque id in sensu communi, & inductione mensurante